



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 152. Cardinalium consilia de Montano in Papam eligendo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

## §. CLII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1549.*Cardinalium consilia de Montano in  
Papam eligendo.*

Cum ergo Sfortia Montani amicus,  
 omnium animos in hunc Cardina-  
 lem inclinatos cerneret, ceterorum quo-  
 que suffragia eidem procurare cæpe-  
 rat: re autem comperta Guisius Cardi-  
 nalis Sfortiam allocutus, „ miror, in-  
 „ quit, tuam agendi rationem, qua  
 „ Montanum protegis, cum tamen  
 „ eum antea sæpius lingua, & calamo  
 „ offenderis, & illatæ hujus injuriæ me-  
 „ mor esse posset Montanus ad Pontifi-  
 „ catum evectus. „ His Guisius plu-  
 res alias subjunxit rationes, quibus  
 Sfortiam a suo proposito dimovere ad-  
 laborabat, præcipue vero eidem hæc  
 exposuit: „ forte successu magis pro-  
 „ spero tuum patrocinium Salviato im-  
 „ penderes, cum hic tibi veteri amici-  
 „ tia, ac sanguinis propinquitate con-  
 „ junctus sit, si ergo in illius favorem  
 „ operam tuam collocare non renuis,  
 „ ipse quoque cum omnibus eidem ad-  
 „ hærentibus accedam. „ Ad hæc re-  
 spondit Sfortia: „ haud immemor sum  
 „ oppositionum, quibus Farnesius Sal-  
 „ viati electionem irritam reddidit, o-  
 „ mnemque conatum cum vano tem-

H 2

„ poris



Sæc. XVI. „ poris dispendio elusit, nunc vero Mon-  
A.C. 1549. „ tani Cardinalis studia deferere haud  
 „ valeo, defuncti enim Pontificis Nepo-  
 „ ti fidem dedi, me Montano mea præ-  
 „ stitutum obsequia: „ his dictis eodem  
 tempore Guisio suam pollicitus est o-  
 peram, ut in Montani, priusquam in  
 Pontificem eligendus esset, gratiam rur-  
 sus redire posset, cum aliunde incassum  
 sese eidem opponeret.

His Sfortiæ rationibus Guisius Car-  
 dinalis resistendo impar, ejusdem con-  
 siliis acquievit, omnesque Cardinales  
 natione Gallos pariter Montano Cardi-  
 nali suffragaturos promisit, rogavit-  
 que, ut ejus opera Farnesium alloquen-  
 di copiam obtinere posset: Igitur Gui-  
 sius procurante Sfortia clam in Sacello,  
 ubi suffragia colligebantur, cum Far-  
 nesio confert, atque ambo Cardinales  
 præmissa salutatione officiosa, quod hu-  
 cusque inter se sententia discordes  
 fuerint, excusant, tandemque commu-  
 ni suffragio Montanum Cardinalem in  
 Papam eligere decernunt, quinimo mox  
 ibidem illius nominatio fuisset promul-  
 gata, nisi Farnesius temporis spatium  
 sibi indulgere petiisset, ut fidem Cæsa-  
 reis datam revocare posset. Attamen  
 tota res minime tam religioso silen-  
 tio premi poterat, quin plures, quid  
 rei



rei subesset, suspicati Montani cubile Sæcul. XIV. A.C. 1549.  
 accederent, proximam ei dignitatem gratulaturi: re autem comperta Hieronymus de Capite-Ferreo Cardinalis, qui Montano parum propensus Cæsaris causam procurabat, mox Cæsareos Cardinales accessit, eisque exposuit, illos male egisse, quod hac de re Cæsaris Ministros non admonuissent, cum ipsorum fuisset, quod electionem ad alteram diem, aut saltem usque ad ejusdem diei vesperam differri postularent, ut & ipse, ejusque amici suis quoque suffragiis accedere potuissent; hac enim via ipsis invitis electionem fuisse factam, nemo credidisset.

§. CLIII.

*Montanus Cardinalis assumpto Julii III. nomine in Papam electus.*

Farnesius, cum ad excludendum Montanum his verbis dolos nepti pertimesceret, hæc exponentibus respondit: Ciacon. in vlt. Pontif. tom. 3. p. 741. Steid. comm. l. 21. p. 777.  
 „ Si vos ad pedis osculum, quod nomine admodum improprio adoratio vocatur, accedere renuitis, nihilominus vobis etiam absentibus, neo-  
 „ electo Pontifici hoc obsequii genus

H 3

„ præ-